

plum adiens dicebatur *se sistere coram DEO, comparere*. Id est symbolum unionis cum Deo. 2. omnem assumptionem nominis Dei, sive in aggregatione sui ad Ecclesiam, audiendo & prædicando verbo ejus, usurpandis sacramentis, sive ullo modo. Cavendum, ne id polluatur & profanetur ab *ἀναξίω*.

b. præfertur obediens animus victimis. *Appropinquare ad audiendum, hoc est, obediendum, melius est, (tertium comparationis, ut facile intellectu, omittitur; ut Psal. 62:10. & alibi) præquam dare stultos sacrificium.* confer 1. Sam. 15:22. 23. Prov. 28:9.

c. indicatur stultorum deceptio. v. 17. *Nam illi nesciunt facere malum scilicet, vel quid sit facere malum: vel non intelcunt facere malum, ut id vitent ac fugiant; quale est Job. 6:30. vel ironicè; nesciunt facere bonum, quum putent, se non posse peccare. In ironico sensu videri possit elegantia subesse. Deo non placent stultorum sacrificia: quia (κατὰ τὴν αὐτῶν ἰκεϊνῶν δόξαν) sunt supervacua. Neq; enim agnoscunt humiliter peccata sua: quasi sint ἀναμαρτητοί. Quid igitur tibi vult sacrificium, quo animus contritus ob suam miseriam & peccatum significatur? confer Psal. 51:19. Alii suppleant *Rak*, ut & c. 2:24. Utcunque sit, condemnatur sui fiducia & indiscretio sive *νοῦς ἀδόκιμος*. Tria ergo propemodum in animo requiruntur. 1. καὶ ἐπὶ καρδίᾳ in affectu ad bonum. 2. πίστις ἀνυπόκριτος in apprehensione promissionis & mandati Dei cum sincera sui abnegatione & gloriæ Dei studio. 3. ἀγαθὴ συνείδησις in exploratione sui quoad utrumque.*

CAP. V.
V. R.

2. precibus, ut specie cultus. Ubi

a. dissuadet festinationem proferendi eas, sive consuetudinis præcipitania, sive incitatione vehementioris affectus: [*cor tuum ne festinet. Matth. 12:34. ex abundantia cordis os loquitur*] sumtatione à Dei & hominis distantia. *Nam Deus est in celo, tu autem in terra.* Hæc latam vim habent. Deus est dominus omnium; tu unus vilissimorum servulorum. non ergo nimis familiariter ac contempnim debes ipsum adire, & sine mente sonos pro more effutire. Debes igitur affectum omnem exuere, neque quicquam quasi tuum ab ipso exigere aut ipsi injungere per affectum vehementiorem; sed te & omnem voluntatem ac necessitatem tuam in ipsius gratiam & misericordiam resignare. Ipse est *santissimus*; tu impurus peccator. Debes igitur cavere, ne quis impurus affectus, non directus

rectus